Secunda multiplicatio ter tria novem. Fiat tertia multiplicatio ter novem
xxvii. Fiat quarta multiplicatio ter xxvii octoginta unum. Ecce
per tales multiplicationes numerus ab unitate ascendit ad unitatem. Significans
quod per tale ieiunium anima conscendit de virtute in virtutem donec videat deum deorum
in Syon. Hec autem multiplicatio bene convenit anime propter quatuor sui status
quibus quatuor iste multiplicationes conveniunt. Primus est status creationis. Secundus
est status vegetationis. Tertius est status operationis. Quartus est status resolutionis.
Primo statui convenit prima multiplicatio que confluit in ternarium quoniam in sta-
tu creationis anima suscepit unitatem essentie et ternarium potentiarum, id est ira-
scibile, concupiscibile, rationabile. Secundo statui competit secunda multi-
plicatio que a ternario ascendit ad novenarium quo in statu vegeta-
tionis anima suscepit officium regendi corpus animatum quod per naturale con-
temperantia [?] fluit et defluit per novem foramina, id est per duos oculos
duas nares duas aures unum os et duos inferiores meatus. Tertio
statui convenit tertia multiplicatio que a novem ad xxvii ascendit
quo in statu operationis anima visibiles et corporales actiones exhibet quod
per xxvii congrue designatur quia numerus est solidus et triplicem habet dimensio-
nem corporis scilicet longitudinem latitudinem et spissitudinem. Quarto
statui convenit quarta multiplicatio que post octoginta redit ad unita-
tem quo in statu resolutionis anima post varietatem vite presentis
revertitur ad unitatem nec natura corporis quod corrumpitur aggravat
animam post octoginta annos labor et dolor dicente psalmista. Ecce quibus rationibus
Nota ieiunamus quatuor tempora. Secundum vero ieiunium quod agitur in quadragesimali
abstinentia. Cuius vero de causa semel in anno sub quadragenario celebra-
tur propter ternarium [?], propter divinum preceptum, propter novum sacramentum, propter exemplum quod ie-
iunavimus [?] xl diebus quia Christus Moyses et Helyas totidem ieiuna-
verunt ante legem sub lege post legem hoc est in principio legis in
medio et fine. ¶ Ante legem Moyses ieiunavit quia ac-